DE LUPO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS
SCRIPSIT
ET DIE XXVIII. MENS. OCTOBR. A. MDCCCLXII
HORA XII
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRIDERICUS MAURITIUS ZIEGERT
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
R. RADDATZ, DR. MED.
E. THUEMMEL, DR. MED.

HALIS SAXONUM,
TYPIS ORPHANOTROPHEI.

PATRI OPTIMO DILECTISSIMO

NECNON

AVUNCULO

PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO

H. ZIEGERT

UTRIUSQUE IURIS DOCTORI, BORUSSORUM REGI
A CONSILIO

HASCE PAGELLAS

PII GRATIQUE ANIMI SIGNUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

In tribus quas frequentavi litterarum universitatibus non nisi unï, vel etiam paucis quibusdam morbis maxime singularum urbium incolas obnoxios vidi. Ad clinicum Gryphiswaldense nunquam non confluebant homines asthmatici et emphysematici; Goettingae, quam dein adii academiam, anni 1858 aestate typhus ingruit pestifer, qui longe lateque serpebat. Halae denique ipsae nunquam vacant ab hominibus vel febri intermittenti vel morbillis laborantibus, quos quidem prae aliis hoc loco proferam morbos. Cogitatione cunctos quos ubique observavi morbos mihi quasi uno oculorum obtutu comprehendenti maximus lupo infectorum numerus hominum praecipue conspicui videntur. Quod quidem duabus de causis fieri pro comperto habeo, primum, quod quae lupo conficiuntur corpora maxime conspiciuntur, deinde quod hicce morbus ubique eadem vi ac frequentia occurrere solet, quippe qui satis probatis medicamentis non curetur, nedum sanetur. Parvus hicce libellus eam sequitur rationem,

ut non solum omnes, quae vulgo adhuc de hoc morbo observando et curando feruntur, sententias complectatur, verum etiam proferat in medium, quae de hoc morbo et medici qui me docuerunt probatissimi et doctissimi statuerunt et ipse accurate ac sincere exploravi.

In qua quidem materia mihi tractanda proposita me ipso doctiores homines luculenter et ingeniose praecepisse, haud quaquam sum nescius. At enimvero spero fere, quod aliis contigit saepius, ut benevoli lectores voluntatem sinceram laudent, licet vires me deficiant.

Lupus, herpes exedens s. ferox, formica corrosiva, phagedaema, ulcus tuberculosum, noli me tangere; ἕρπης ἐσθιόμενος Graecorum; Dartre rongeante, vive, ulcerée, esthiomène Franco-Gallorum; bösartige, fressende Flechte, alia sunt nomina, quibus significatur hic morbus.

Est dermatitis chronica, in qua modo cellulae atque nuclei, modo tela cellaria, progeniuntur, quae denique et in ulcerationem et in gangraenam et in necrosim multarum cutis partium mutatur.

Si Blasio utimur duce, carissimo mihi atque doctissimo praeceptore, qui primus praeclaram lupi edidit descriptionem, medicis practicis utilissimam, orientis morbi tres formationes:

t u b e r c u l o s a m , p u s t u l o s a m e t
m a c u l o s a m

progredientis deinde:

u l c e r a t i v a m , h y p e r t r o p h i c a m e t
e x f o l i a t i v a m

discernimus. Attamen etiam omnes morbi formationes in uno homine aut una aut aliae post alias inveniuntur.

Pathologia anatomica.

Quae cutis pars lupo afficitur, ea maiore sanguinis copia suffusa humorem ex albo flavescentem atque perlucidum exsudat.

Tubercula, quae in primo morbo oriuntur, composita sunt e permultis nucleis cellulisque quarum diameter raro $^1/_{300}$ — $^1/_{200}$″ maior est. — Exoritur igitur morbus in reti Malpighii, neque vero, ut contendit Lessing,*) in cutis glandulis sebaceis.

Accuratius perlustrantibus nobis tuberculorum naturam in media parte accumulatio nucleorum maximam partem rotundorum atque inaequali attanaen crasso involumento instructarum offertur, in circulo autem nonnullae novae rotundaeque cellae epithelii in conspectum veniunt. Qui nuclei, ubi augentur et crescunt, proximas partes comprimunt ita, ut non modo cutis corpora papillaria, verum etiam musculi tendines chondri ossa intereant.

Hae nucleorum accumulationes abunde refertae sunt vasis latis capillaribus, quae singulae solitoque crassiores e fundo surgentes, simulac ulceribus propinquant, lineis curvatis flectisque disperguntur. —

---

*) Diss. inaug. Halae 1841.

Longe aliter res se habet in lupo hypertrophico. Hyperaemia enim retis Malpighii minoris est momenti quam nova formatio densae firmaeque telae cellariae. Cutis, quae tegit partem aegrotantem, valde est extenuata. Quae si dissecatur adspectum praebet ex albo flavescentem atque splendidum, lardo dissecto simillimium ita, ut musculi, panniculus adiposus, alia discerni non possint.

Singuli solidioris materiae fasciculi albi atque plani cutem penetrant. Cultro si secturam perstringis, stridor auditur.

Microscopio vero adhibito firma densaque cernitur tela cellaria, cui modo conglomeratae terruesque fibrae granosae, modo fibrae elasticae crassae passim inspersae sunt, quae invicem decussantur.

Rarissimi deinde, qui conspiciuntur, musculorum fasciculi pallidi perspicui atque evidenter lineis obliquis distincti sunt. Accuratius pervestiganti paucae adhuc ac recentes et pallidae et aequabili impletae materia, quae tenuissimis involvuntur membranis, cellae se offerunt. Eae eadem ac puris cellae sunt magnitudine, quas quidem summo cum iure recentes telae cellariae cellas habendas esse arbitror.

Saepenumero etiam inveniuntur in cutis partibus lupo affectis alba corpuscula, comedonibus simillima, praesertim quum materiam contineant sebo cutaneo haud dissimilem. Iacent vero in medio strata nuclearum epithelium rubescentium.

Quae quidem a finitimis partibus ita sunt disseparata, ut facillime cultri apice tolli possint; laeve sublata ostendunt cavum.

Interdum fit, ut in tenues albosque pediolos extendantur, quibus brevis includitur sublimisque pilus. Et capsulae et ipsi pedioli albescentes arctissime coniunctis cellis epithelialibus formati sunt. Cellae in orbem dispositae originem ducunt e singulis cellis epithelialibus, circa quas, sicuti fit in carcinomate epitheliali, cellae aliae alias progenerantes enascuntur.

Eae vero cellae, quae supremae ceteras circumvelant, satis firmae et inter se compressae sunt, quia cellae, ut videtur, intrinsecus crescentes superiores reprimunt. Pili, qui pediolo albescenti clauduntur, bulbum versus intermoriuntur. Haud dubie e cellis epithelialibus vaginae radicis pili peculiaris illa aegrotatio nascitur; ideoque cellae illae epitheliales hac quoque ratione cum reti Malpighii comparari possunt.

Quarum pathologicarum mutationum si summam facimus, in lupo semper de nova quadam formatione agi apparet; quumque hic cellae atque nuclei, illic tela cellaria recenter formentur, fortasse quispiam adducatur, ut lupi genera in novas describat classes. Cui duae res maxime repugnant: Nam primum quidem nova illa in classes descriptio minime idonea est medicis practicis; deinde falsa est, si-

mulatque alias quoque formationes atque cellas, nucleos, telam cellariam denuo fieri demonstratum est.

De loco lupi.

Saepissime lupus faciem occupare solet, imprimis narium apicem, rarius vero labra, genas, mentum, frontem, oculorum angulos, aures. Interdum etiam in collum progreditur. In ipso vero corpore morbus multo rarius conspicitur, ubi thoracem, humerum, labia maiora tenet. Rarissima inveniuntur lupi ulcera in cruribus et brachiis, dico autem, in dorso pedis et manus in externo antibrachii latere, proximum articulos.

In nonnullis hominibus, iisque paucis, lupi ulcera etiam in membrana pituitaria, praecipue narium, orientia observata sunt.

Quae quidem ulcerum propagatio inde e facie in alias quoque corporis partes conspecta in dyscrasia quadam posita esse mihi videtur. Etenim, quoscunque adhuc homines huius generis lupo affectos vidi, eos etiam aut scrophulosos aut tuberculosos aut lue syphilitica affectos cognovi.

De symptomatibus.

Ut iam supra dictum, tres primi morbi formationes observantur: tuberculosa, pustulosa, maculosa.

Primum tubercula rubra, paullulum eminentia, dura, ad lentis vel fabae magnitudinem, conspiciuntur, quae et singula et cum aliis coniuncta oriuntur. Dolore non afficiuntur loci aegroti; premunt autem cutem ita, ut epidermidis squamae albae deiiciantur ita, ut epitheliale cutis stratum magis magisque attenuatum, extensum, cicatrici tenui rubraeque simile, perruptum denique magnis multisque ulceribus occupetur.

Deinde pustulae, Impetiginis seu Ecthymatis pustulis simillimae, modo rarae modo confertae observantur, quae rubra obtinent loca. Dirruptae denique fusca atque tenaci crusta teguntur. Sublata vero crusta ulcus saepe profundum se offert, quod crusta recenti indutum magis magisque crescitur. Quae proxima sunt ulceribus loca livido, qui proprius est lupo, colore infecta sunt.

Tertium morbus e maculis, quae in cuti intumescente plerumque in narium apice inveniuntur, magnitudine inaequalibus, lividis, oritur, super quas epidermidis fit desquamatio. Paulo post magis rubescunt maculae: inde humor exsudatur, quem superficiei ulcus sequitur crassis

crustis mox obtectum. Quibus sub crustis pus flavum saepe haemorrhagiis fusco colore infectum congregatur.

Saepenumero morbus etiam in desquamanda epidermide resistit; cutis paullatim in tenuem, lividam et maculosam superficiem attenuatur.

Lupus si ex membrana pituitaria originem ducit, id quod in narium membrana potissimum fieri solet, ea in nigrum rubescit, tumescit, humorem puri similem secernit, qui in crustas deinde durescit. Eodem tempore totus nasus nimio sanguine impletus tumescit. Ulcera membranae pituitariae iam valde progressa multas partes saepenumero deleverunt, antequam in externo naso aliquid mutatum observatur.

Deinde vero si lupus ex tuberculis confertis genitur, quae alia ex aliis progenita et in latum et in profundum augentur in unum denique aegrotum cumulum confluunt, dum, quae proximae sunt partes, humorem ostendunt diffum, lupum hypertrophicum, qui morbus rarissime invenitur, haud ignoramus. Atque quum facies lupo hypertrophico affecta valde tumida et turgida sit, difficile est intellectu, quae oris partes lupo offectae sint, quae non item. Palpando autem quid intersit inter aegrotantem et integram partem bene sentitur. Namque ipse tumor aliquid durus sentitur, partibus circumiacentibus emollitis et oedemate refertis.

In ipso autem aegrotanti loco epidermis in dies magis detruditur. Praeterea Cazenave et Schedelio auctoribus cicatrices singulares iique albi tuberculorum saepissime loco formantur neque crustis neque ulceribus antea progenitis. Quae puncta rubra inter cicatrices conspiciuntur cacumina sunt singulorum tuberculorum non eminentium ex ipsa tumescenti cuti.

Saepissime vero lupus hypertrophicus in ulcera exit, imprimis in alis membranaque pituitaria narium, quae profunda gangraena nasum exedunt.

Haud raro fit, ut ex primis lupi formis ulcera oriantur. Tum aut pustulae, tubercula vel maculae cum inflammatione multificantur, aut cutis vel membrana pituitaria aegrota rubore semper crescente obteguntur, aut oedematis in modum tumescunt et hic vel illic dirrumpuntur. Ulcus autem, quod initio parvum, rotundum omni dolore caret, in profundum et latum extenditur. Deinde singula illa ulcera confluunt, eaque inaequalibus marginibus corrosisque circumclusa et crustis fuscis arcte fundamento inhaerentibus obtecta sunt, sub quibus flava crassa saepe etiam fusca congregatur materia.

Crustam fixam siccatam atque supergestam secernenti facile haemorrhagia obviam fit, et quidem locis, ubi crustae cum cuti cohaerent, in ulcerum marginibus, sanguine impletis, madentibus.

Crustae, quo altius in ulcera penetrant, eo latiores sunt, ita quidem, ut non solum cutem musculosque, sed etiam chondros ossaque deleant.

Lupus ulcerativus et superficialis et altius penetrans sua sponte inflammatione decrescente et orta cicatrice sanari potest. Cicatrices nihil ab iis differunt, quae cremando ortae sunt. Albi laquei plus minusve convexi et complicati, qui corripiendo indulgent. Si in cicatricibus loci conspiciuntur molliores, rubri, magna cum probabilitate redintegrationem exulcerationis expectare licet, quae saepissime malum obstinax et longinquum secum fert.

Lupus exfoliativus sive a rubris maculis in cute, sive a tuberculis orditur; loci cutis epitheliales continuo in maiores minoresve albas sequamas decutiuntur. Quibus superstructa cutis rubra paullatim attenuata levis et splendida fit. Hyperrhaemia deinde deficiente, hae partes prae adiacentibus multo altiores conspiciuntur, superstructis multo pressius inhaerent, adiacentia modo cicatricum attrahunt, complicantur atque album splendentem colorem ostendunt.

Quae cunctae lupi formae in una eademque persona sive eodem tempore sive deinceps observari licet et rarissime quispiam una sola forma huius morbi afficitur.

Cicatricum contractiones mala secum trahunt ectropia palpebrarum labiorumque, concretionem narium, deminutionem oris, probariis lupi locis. Blasius P. A. in egregai

de lupo sive herpete exedente commentatione*) docet, palpebrarum ectropia interdum tantam vim habere, ut margo ciliaris in margine orbitali constitutus sit externa blephari superficie prorsus deleta.

Forte fieri potest, ut lupum comitentur oedema locorum adiacentium, tumor affinium glandularum lymphaticarum et erysipelas cui a nonnullis viris doctis momentum in bonam morbi partem tribuitur.

Iam operae pretium videtur, eam quaestionem paullo accuratius attingere, utrum lupus non nisi cum dyscrasia coniunctus inveniatur, an malum sit loco cuidam tantummodo adhaerens. Utriusque sententiae usque ad hunc diem acres defensores exstiterunt, quum alii malum e dyscrasia ortum derivent, alii morbum cutis localem contendant.

Quamquam enim constat, lupum una cum scrophulosi, tuberculosi et lue syphilitica observatum esse, attamen casus innotuerunt ab omni dubitatione liberi etiamque in vulgus editi, ubi lupus nihil aliud esset, quam morbus mere cutalis. Recentiore tempore viri docti eam sententiam probabiliorem existimant, lupum magna ex parte cum tuberculosi, et quidem pulmonum, coniunctum observari.

---

*) Rust „Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie“ Bd. XI.

Aetiologia.

Lupus in adolescentibus tantum inde ab annis 10--20 observatur, et quidem eo potissimum tempore, quum pubertatis aetatem nanciscantur. Rarissime fit, ut personae plus quam 40 annos nati eo afficiantur; saepius in sexu feminino quam masculino observatur atque interdum etiam menses delet. Ruri saepius, ut mihi videtur, quam in oppidis evenit, quemadmodum a veritate nihil abhorret, eum apud nobiliores divitesque rarius inveniri, quam apud pauperes.

Diagnosis.

Locus lupi, quem fere semper in ore et rarissime tantum in aliis corporis partibus invenies, tempus morbi in annos adolescentiae incidens, signa qnae lupum describunt, magnam efficiunt difficultatem, ut lupum cum aliis cutis morbis commutes. Et hoc quidem imprimis difficile est, morbi initia cognoscere, quae ab aegris haud raro negliguntur; primusque morbus saepissime multo serius constitui solet, quam vere fuerit.

Prognosis.

Quae cuncta si respicimus, prognosis non fausta. Quamquam enim lupus per se lethalis non est, tamen fere semper redintegrationes eveniunt, quae etiam maxima adhibita diligentia evitari vix possunt. Lupus, ut iam supra dictum, interdum cicatricem praebet, pessimam tumidam, mollem, vasis magnis large constitutam, fuscam, atque adeo fluctuantem, si Bietto fidem damus. Huc accedit, quod pulmonum tuberculosis cum lupo saepissime coniuncta bonum morbi exitum indicare non sinit.

Hebrae si assentimue lupus hypertrophicus prognosin maxime malam habet, et quidem propter magnum extensum et propter altius penetrantem devastationem.

Therapia.

A. Universales.

In casibus iis, ubi lupus a dyscrasia syphilitica derivandus est, antisyphilitica, imprimis hydrargyrum, bonum eventum habebunt.

In nosocomio P. A. Hasse Goettingensis, eiusdemque praeceptoris dilectissimi, virum observavi, procul dubie lue syphilitica affectum. Sinistrum corporis latus imprimis humus adeo ab altis lupi ulceribus obtectum erat, ut paucissimas tantum sanae cutis partes conspicere possem. Quae ulcera in parte adversa extenuabantur etiam in dextram pectoris partem. Totum fere abdomen ab iis liberum erat. Qui aeger ex praecepto P. A. Hasse pillulas sumpsit, primum hydrargyri iodati flāvi, deinde hydrargyri muriatici corrosivi Ocfonis diebus balneis lepidis lautus est. Tribus mensibus, quamdiu eum observandi facultas mihi esset, eventus spem prope excessit. Ulcerationis fundus, initio morbi squalidus et asper, albo pure et putidis telae partibus obtectus, paullatim purus et aequus factus est, pus bene processit, paullatimque sanae carnis verrucae ortae sunt. Quum aegrum

ultimum observarem, ulcerum margines iam ad cicatrices tendebant, neque erat, cur hominem omnino sanatum iri, sperare non liceret.

In omnibus autem casibus iis, ubi lupus lue syphilitica non est progenitus, Hydrargyri et Jodi praeparata, si non omnino nihil proficiunt, levioris certe momenti habenda sunt. Scrophulosi affectis necnon ceteroquin sanis oleum iecoris aselli, et magnis quidem dosibus, dispensare viri docti convenerunt. Devergie et Lugol usque ad xviij ℥ pro die progrediuntur. Neque vero stomachus et membrana pituitaria intestini tantam olei pinguis copiam concipere atque digerere par est. Quapropter Hebra, qui initio vel xviij cochlearia praescripsit, nunc dosin dimidio minorem adhibet. Incipit a jv cochlearibus pro die, paullatim ad viij progreditur, vel in infantibus. Ad delendum molestum saporem, qui ab oleo iecoris aselli oritur, sumentibus fabas coffeae postea manducare commendat.

Hoc intelligitur, eventum talis curationis non pro diebus aestimari posse. Mensibus denuum praeteritis post usum olei adhibitum, eventum conspicuum videre licebit.

Atque adeo fieri potest, ut solo oleo iecoris morbus sanetur, omnibus ceteris medicamentis infeliciter adhibitis, id quod Hebra docet; cuius olei usus etiam diu post sanationem continuandus, ne redintegratio morbi fiat.

Primum sine dubio inter medicamenta locum abtinet oleum iecoris aselli in curandis iis, qui pulmonum tuberculosi cum lupo coniuncta laborant.

Secundum rationes ac maxime peritorum auctorum placito tuberculosis nihil aliud est, nisi scrophulosis inveterata, scrophulosis quasi adultorum. Idcirco dispensant tuberculosis antiscrophulosa.

Ubi ulcera luposa molla sunt, neque etiam inveterata, feliciter evenire solet, si Jodi praeparatorum fit usus.

Rp.

Kali iodat ʒβ — ij

Aqu. dest ℥ viij

Jodi puri gr j — ij

MDS. 1 bis 3 mal tägl. 1 Eßlöffel zu nehmen.

B. Localis.

Simul cum usitata curatione dyscrasiae aptissime ulcera ipsa medicamentis sunt petenda.

Remedia quae in ipso aegroto loco adhibentur duas praecipue formant classes:

Altera classis continet illa, quibus cutis nutritio modificetur et alteretur. quibus simul caveatur, ne iterum morbus redeat.

Altera vero remedia illa, quibus strata nucleorum et cellularum in cuti instructarum deleantur.

Si malum incipit, si singulae adsunt maculae non ulceratae ac tubercula, porro si cicatrices malum praebent adspectum, si denique lupum seu exfoliativum seu hypertrophicum cognoveris, remedia illa sunt adhibenda, quibus alterentur partes aegrotae.

Sin vero ulcera haud nequaquam maligna delere vis, ut pus et cicatricem denique bona adducas, remedia caustica a te non sunt negligenda.

Strata nucleorum et cellularum lupo propria aut remediis causticis deleri aut cultro exscindi possunt.

Hebra, Blasius, Langenbeck caustica praeferunt, Bardeleben excisionem certiorem habet.

Hebra maxime commendat stilum argenti nitrici. Postquam crustae cataplasmatibus ab ulceribus remotae sunt, stilum lapidis infernalis infert in partes lupo affectas non resistentes. Hoc modo pergit delere aegrota, usque dum ad partes sanas pervenit quae resistunt. Initio per tres seu quattuor dies semel quotidie caustica adhibet. Si denique eo venit, ut ulcerum fundus laeve factum sit atque bonum progignat pus, duas ac deinde unam tantummodo huiusmodi cauterisationem octonis facit diebus. Cicatrices, quae restent, optimas esse atque levissimas, certissime docet.

Bonos quoque eventus vidit progigni ex argento nitrico in aequali aquae destillatae copia soluto, si diligenter in partibus aegrotis adhibebatur. Attamen praefert stilum lapidis, quia altius penetrat.

Dolores qui post cauterisationem nascuntur gravissimi per horas fere viginti quattor continuuntur et aqua frigida superfusa paullulum tantummodo leniuntur.

Langenbeck Kali causticum, et quidem in substantia adhibitum praefert. Crustis cataplasmatibus remotis stilum kali caustici partibus aegrotis infert telamque haud sanam facillime perrumpit. Operationem perficit, dum patienti somnus venit chloroformio inhalato ortus. Dolor post cauterisationem minimus haud multo post prorsus evanescit. Octonis diebus post ulcera purem progignunt et crustam, quae post aliquot dies sua sponte deiicitur. Ulcera deinde unguento basilico etc. curantur.

Si in cicatrice denuo progeniuntur tubercula, cauterisatio hoc loco est repetenda.

Blasius adhibet unguentum arsenicosum, cuius usum ipse qui coram vidi prospere profuisse affirmare possum.

Rp.

Arsenici alb gr j
Calomelan. gr. xxv.
Adip. suill. ℥j
Mf. Ungt.

Quod unguentum adhibitur, usque dum cruslae squalidae oriuntur; deinde ulcera unguento cereo etc. curantur.

E multis aliis unguentibus causticis, quae in primo lupo commendantur, pauca tantummodo hic afferam.

Lisfranc adhibuit Chlornatrium, quo vero adhibito bonum eventum rarissime videbis.

Key dispensabat unguentum, „Key'sches liniment," quod a multis iisque doctis autoribus valde laudatur.

Rp.

Ungt. mercurial ℥jβ
Camphor ʒj
Spirit. terebinth ʒjβ
Axung porci ℥β.

Mf. linim.

Multo meliorem eventum progenuerunt unguenta, quae sulphur iodatum seu hydrargyrum iodatum continent.

Rp.

Hydrarg. iodat. rubri gr xij
Adip. suill ℥β

Mf. Ungt.

seu

Rp.

Hydrarg. iod. flav. ℈j — ʒβ

Axung. porc. ℥j

Mf. Ungt.

Blasius in libello iam antea commemorato certe docet, his adhibitis unguentis lupum saepissime in meliorem sese vertisse.

Praesertim autem hoc unguentum commendat.

Rp.

Ungt. Hydrarg. ciner. ℥β

Kali hydroiodici gr xiij

Mf. Ungt.

Exsectio cauterisationi multis numeris praeferenda, quippe quae magis proficiat atque celerius, doloribus etiam brevius tempus tenentibus. Neque etiam saepius fit exsectio. Accedit, quod cicatrix. dummodo iusta cura non desit, haudquaquam vultus habitum magis deformem reddit.

Si quidem in commodum unicum quod obstat spectaveris, quod qui exsecat medicus nescit, utrum omnes partes

morbo affectas exsecuerit, necne, quo facto redintegratio morbi defenderetur; id ipsum talis esse debet momenti, quo adducaris, ut cauterisationi faveas.

Ubi vero morbus non nisi exiguam faciei partem confecit, sanis neque infectis iis quae attingunt, usui foret, ulcera cultro exstirpare.

Frequentior, quam in ipso morbo curando, usus fiet cultri in removendis iis quae morbo ortae sunt cicatricibus, si quae nimis deforment lineamenta vultus contracta cute.

Cultro etiam adhibito restaurandum est, si quid in singulis oris partibus, ut in naso, extabuerit.

VITA.

Fridericus Mauritius Ziegert, fidei addictus catholicae, natus sum Resae ad Rhenum die XXV mensis Decembris anno h. s. XXXVI, matre Lisetta, e gente Maybach, iam defuncta, patre Mauritio, quem superstitem adhuc pio gratoque veneror animo. Primis literarum elementis in urbano ludo imbutus Gymnasium Embricum per duo annos frequentavi. Inde adii gymnasium Molhusanum, quod adhuc, directore Haun, floret. Post examen absolutum testimonio maturitatis munitus almam literarum universitatem Gryphiswaldensem petii, ubi per quattuor semestria versatus sum. Inde examine philosophico superato almam Goettingae Georgiam Augustam per duo semestria frequentavi. Lectionibus denique et scholis clinicis interfui in universitate Fridericiana Halensi cum Vitebergensi consociata.

Per quadriennium scholas adii horum virorum:

Ill. Muenter de zoologia.

Ill. Huenefeld de chemia organica et anorganica.

Ill. Baier de logice.

Ill. Huenefeld de mineralogia.

Ill. Muenter de botanice.

Doct. Schildener de psychologia.

Ill. Haeser de encyclopaedia.

Ill. Budge de anatiomia et arte corpora recte dissecandi.

Ill. Schultze de anatomia comparata et microscopica.

Ill. Laurer de pharmacologia.

Ill. Bardeleben de chirurgia et aciurgia.

Ill. Niemeyer de pathologia et therapia generali et speciali.

Ill. Hasse de morbis ventriculi et sexus.

Ill. v. Siebold de arte obstetricia.

Doct. Wachsmuth de auscultatione et percussione.

Ill. Vogel de morbis cutis.

Ill. Blasius de fracturis et luxationibus.

Scholis clinicis interfu apud Ill. Blasium chirurgico ophthalmiatricis, apud Ill. Vogel, medicis, ad Ill. Hohl, obstetriciis.

Qnibus omnibus viris optime de me meritis summas habeo, semperque habebo, gratias.

THESES.

I.

In exploranda graviditate duplice auscultione carere non possumus.

II.

In delendis partibus cutis iis, quae lupo affectae sunt, remedia caustica cultro sunt praeferenda.

III.

Haud omnibus in vulneribus curandum, ut quam celerrime prima intentione medeantur.

IV.

Remedium specificum contra pulmonum tuberculosin non existit.

V.

Ubi luxatio simul cum fractura adest, luxatio primum est reponenda.